



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXXIV. De Lampade coram Venerabili arsura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

constet de animo atque intentione præsentantis, & ipsius præsentati, quidnam in hoc dubio de iis præsumendum erit? Resp. in dubio præsumptionem faciendam esse in benigniorem partem, cum delicta non sint præsumenda, denique ista verba: *ero gratus*, sunt indifferentia, ut significant solum nudum propositum atque intentionem ex-

hibendi se gratum: vel ut significant etiam ipsum animum se ad talia obligandi: nam qui solum merum propositum alteri significare intendit, illis & non aliis verbis uti poterit: ergo ex illis non potest deduci, quòd pactum quoddam fuerit in initum.



Casus XXXIV.

De Lampade coram Venerabili arsuræ.

CAjus tenerrimæ conscientia vir, cum in cujusdam ruralis templi tabernaculo Venerabile Sacramentum aservari vidisset, toparcham illius loci hortatur, ut de quodam perpetuo lumine prospiciat, eò quòd sub obligatione diu nocturque coram Venerabili lampas ardere debeat?

Quær. 1. Utrum talis obligatio probari possit?

Quær. 2. Quinam, si hæc

detur, ad illud lumen conservandum, contribuere debeant?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur primum quæsitum.

Utrum talis obligatio probari possit?

1. Conservatio hujus luminis aliqua lege vel consuetudine debet esse præcepta, ut illius ommissio sit peccatum.

2. Nul-

2. Nulla circa hoc punctum lex naturalis, vel divina habentur.
3. Qualis consuetudo vim legis obtineat?
4. Populus intendere consuetudinem potest solummodo, ut devotioni, pietati, gratitudini, aut urbanitati satisfiat.
5. Cùm intentio hujus consuetudinis sit dubia, hinc ista non habebit vim legis.
6. Ex quibus conjecturis desumenda sit intentio consuetudinem introducentium.
7. Non bene universaliter infertur consuetudinem esse obligatoriam, ex cujus transgressione timorati scandalizantur.
8. Ob violatam legem Diocesanam de hoc puncto alicubi latam punientur transgressores.
9. Nec aliquid probat, quòd observatio hujus consuetudinis cultum divinum promoveat.
10. Neque in jure communi habetur simile quoddam præceptum.
11. Ex cap. ad literas: de celebrat. Missarum nihil infertur.
12. Nonnullæ Dioceses conservationem hujus luminis præscribunt.
13. Ex rituali Romano obligatio ista probari non potest.
14. In constitutione tali Diocesana etiam datur parvitas materiæ.
15. Constitutiones Synodales probabilius ne quidẽ sub gravi in hoc puncto obligant.

§. II.

Resolvitur secundum
Quæsitum.

Cujusnam impensis hoc lumen sit conservandum:

16. Quænam in decisione hujus sint ante omnia observanda?
17. Deficientibus istis decidendum hoc erit ex iis, quæ de Ecclesiis ædificandis, & reparandis sunt statuta.
18. Ordinatio Tridentini circa reparandas collapsas Ecclesias adducitur.
19. Hinc tale lumen alendum ex portione proventuum fabricæ deputatorum.
20. His deficientibus Rector Ecclesiæ, cæterique Beneficiati

ex

- ex redivibus congruæ sustentationi superfluis obligantur.
21. Post istos Patronus, & cæteri ex proventibus Ecclesiæ aliquid percipientes.
 22. Patronus ex proventibus Ecclesiæ nihil percipiens immunis tamen erit.
 23. In defectu istorum omnium decimatores Ecclesiastici erunt obligati.
 24. Ob quas rationes decimatores laicales ab hoc eximi videantur.
 25. Ob quas videantur obligati.
 26. Respondetur ad rationes dõnegantium hoc onus.
 27. Non ipsis sæcularibus decimatoribus, sed Ecclesiæ probandum, hoc onus iisdem esse impositum.
 28. Sæcularizatis decimis, jus tantum fundamentale & remotum decimandi penes Ecclesiam remanet.
 29. Nullam justam querelarum causam ex hac alia ratione parochiani habent.

§. I.

Resolvitur primum
quæsitum.

Utrum hæc obligatio probari
possit?

CUm omne peccatum sit transgressio alicujus legis, nequaquam omissione talis perpetuò ardentis lampadis peccari poterit, nisi lex aliqua eandem præcipiens lata fuerit, hæc, cum possit esse naturalis, vel positiva, eaque vel divina vel humana, ideo examinandum modò nobis erit, num naturali, divina, aut denique humana lege cautum fuerit, ut hoc coram Venerabili lumen perpetuò conservaretur.

Dico: Nullam in hoc puncto legem naturalem, nullam etiam divinam existere. Prior pars videtur omnibus constare, cum utique non facile aliquis defenderit, cui libet à natura insitam esse obligationem, ut hujus luminis continuationem procuret. Non minùs certa videtur altera nostræ hujus assertionis pars; juxta omnes etenim Theologos in lege nova circa solam substantialem administrationem Sacramentorum à Deo leges fuerunt latæ: cum
A a a ergo

ergo præsens materia substantialem administrationem Sacramentorum nequiquam concernat, superest sola controversia, an non consuetudine aliqua vim legis obtinente, aut jure quodam Ecclesiastico, eoque vel communi vel privato Diocesano tale quid præcipiens lex aliqua lata fuerit.

3 Antequam hæc conclusio à nobis probetur, advertimus, illam duntaxat consuetudinem vim legis obtinere, quæ per frequentatos actus animò se obligandi fuit introducta: talis enim consuetudo pro lege suscipitur. Sicut itaque ad rationem legis in Legislatore requiritur intentio ferendi illam, sic ad consuetudinem in illis, qui illam introducere possunt, requiritur intentio obligationem illam introducendi, cum actiones agentium non operentur ultra intentionem illorum.

4 Advertimus ulterius cum Palao *tract. 3. & disp. 3. de consuet. p. 3. §. 2. n. 12.* posse à populo intendi consuetudinem, ut devotioni, pietati, & gratitudini, aut urbanitati faciat satis, absque animò se obligandi ad illius ob-

servationem, qui tamen ad consuetudinem vim legis obtinentem est necessarius. His præmissis ita formatur probatio.

In præsentī casu est dubium, utrum non ista tantummodo faciant populi Christiani, ut devotioni pietatis serviant absque animo se obligandi ad hanc consuetudinem: ergo non habet consuetudo ista vim legis. Probatum consequentia: in casu dubio semper præsumendum est consuetudinem ex devotione & non ex obligatione inductam esse; nam ea, quæ sunt facti & non juris, non præsumuntur, & lex non præsumitur, nisi probetur: accedit, quòd nemo præsumatur sibi velle onus & obligationem imponere, nisi id manifestè constet, prædicentur. Suarez *lib. 7. cap. 15. n. 13.* Bonac. *disp. 1. q. 1. pu. ult. §. 3. n. 21.* Palao *tract. & disp. 3. p. 3. §. 3.* ergo si est dubium, non debet habere rationem legis. Probatum itaque antecedens, quod vult hoc esse dubium: dantur in Ecclesia quamplurimæ aliæ hujusmodi consuetudines, quæ solius devotionis, pietatis, ac gratitudinis causâ sunt introductæ ab-

absque animo se ad illas observandas obligandi, insuper nulla habetur singularis ratio pro ista determinata consuetudine, quod hæc non fuerit introducta solo animo serviendi pietati: ergo est dubium. Probatur primum membrum antecedentis. Tales consuetudines sunt praxis salutandi Virginem ad signum campanæ mane, in meridie ac Vesperis: jejunandi in eisdem Vigiliis, sumendi aquam benedictam in egressu Ecclesiæ, panem benedictum diebus Dominicis, & cinerem benedictum primo die Quadragesimæ, pluresque aliæ à Bellarmino *lib. 4. de Romanis Pontificibus. cap. 18.* Suarez. *l. 7. cap. 14. n. 6.* Salas, Azor. *tom. 1. l. 5. cap. 18. q. 5.* congestæ: ergo dantur quamplurimæ tales consuetudines, quæ solius devotionis gratiâ sunt introductæ. Probatô hac ratione primô membrô, secundum probamus solutione objectionum, quibus, si satisfacimus, hoc ipso verum est, nullam specialem rationem haberi, quod ista, de qua disputamus, consuetudo sit animô se obligandi introducta,

Sic itaque argumentantur adversarii. Juxta Suarezium *lib. 7. q. de LL. cap. 15.* quod aliqua consuetudo animô se obligandi fuerit introducta ex sequentibus conjecturis probatur.

Prima est, si consuetudo sit rei gravis, difficilis, & communiter à populo observata, quia non solet populus uniformiter convenire in his actibus, nisi quando se obligatum sentit: atqui hæc consuetudo, est rei gravis, difficilis: ergo &c. Resp. transeat major. nego min. non enim adeò difficile, & gravis res est procurare, ut lampas coram Venerabili semper ardeat, cum ut plurimum fundatio ab uno prædivite ac bene habente fiat: aut si plures ad illam concurrant, singulos modicum quid contingit: Item communiter ex sumptibus templi impensæ ad hunc finem accipiuntur, quæ omnia ostendunt, nequaquam gravem, difficilem hanc consuetudinem esse.

Objic. 2. Juxta memotatum Suarezium illa consuetudo 7
habet vim legis, de cujus transgressoribus timorati malè sentiunt, & propterea populus scan-

dalizatur; atqui hæc omnia verificantur in hoc casu: ergo &c. Resp. negando majorem ita universaliter sumptam, de omnibus enim illis; qui consuetudines prius enumeratas, & solius gratitudinis aut pietatis gratiâ introductas non observant, etiam timorati malè sentiunt, & populus scandalizatur.

8 Objic. 3. Si Prælati & Superiores puniant violantes consuetudinem, tunc ista habet vim legis: atqui puniunt isti violantes consuetudinem istam: ergo &c. Resp. dist. min. puniunt istos ob violatam præcisè consuetudinem, negatur: ob violatam legem Diocesanam in hoc puncto ab aliquibus Ordinariis latam, transeat minor, & nego consequentiam.

9 Objic. 4. Observatio hujus consuetudinis multum confert augmento reipublicæ Catholicæ, sed consuetudo multum conferens reipublicæ habet vim legis: ergo &c. Resp. quamlibet consuetudinem pietatis, devotionis, & gratitudinis gratiæ erga Deum & Sanctos introductam plurimum conferre ad augmentum reipublicæ, & tamen

non habere vim legis: ergo minor non est universaliter vera.

Dico 2. In jure communi nullibi habetur aliquod præceptum imperans, ut habeatur lumen accensum diu noctûque ante sacratissimum Sacramentum. Ita Navarrus in tom 2, cap. 18, n. 67, asserens se non reperire, quòd jure communi sancitum sit lumen, nisi cùm in publicum defertur. cap. Sanè, de celebrat. Missarum, lumen etenim, ut in citato cap. Honorius Tertius loquitur, significat ibi esse candorem lucis æternæ, & consequenter eam videntes, ad devotionem incitat. ex quo colligo, nequaquam hunc Authorem inspexisse, qui ex autoritate hujus Navarri in loco citato universaliter præsumunt, & ex constitutionibus Diocesum quarundam volunt probare ex jure communi dari obligationem nutriendi hujus luminis. Altera ratio est negativa, quia nullus Canon id præcipiens afferri potest.

Oppones: cùm in cap. ad litteras de celebrat. Missæ. reprehendatur Sacerdos, quòd sine lumine celebraverit, consequenter

ter præcipit, ut adhibeatur lumen: ergo etiam hoc adhibendum erit coram Evcharistia, quia eadem ratio etiam pro hoc pugnat, & lex extenditur ad casum, in quo reperitur ratio legis. Resp. conc. antec. neg. consequ. cum sua ratione. ex devotione enim erga sacratissimam Evcharistiam plurima sunt constituta, ex quo tamen minimè sequitur, obligationem dari faciendi omnia illa, quæ in hujus SS. Sacramenti venerationem deserviunt.

12. Dico 3. Solent tamen aliquarum Diocesium constitutiones, & nominatim Constantiensis præscribere, ac præcipere conservationem hujus luminis. Probat. Constitutio Diocesanos Constantiensis ita habet: *Ardeat coram Tabernaculo in quo Venerabile Sacramentum asservatur, sumptibus fabricæ, vel alterius, qui ad id obligatur, perpetuò noctes atque dies lampas, quæ, si extinguatur: rursus accendatur, & conservetur: quod licet adituum munus sit, Parochis tamen incumbit ædituos negligentes sui officii commone.*

13. Objicit Quintanadveñas Ri-

tuale Romanum, in quo Paulus V. mandat continuò ardere illic lampadem: ergo &c. Resp. conc. antec. nego consequentiam: hoc enim Rituale Romanum non ubique observatur in tota Ecclesia, & videtur pro sola urbe Romana factum: passim enim in administratione Sacramentorum, & celebrando Sacrificio contraria huic Rituali praxis observatur: cur ergo in hoc solo puncto obliget?

Nec dicas, Theologos valde rigidè exigere, ut tempore Sacrificii lumen sit semper accensum: ergo &c. Resp. neg. consequ. de priore enim habetur Canon expressè id præcipiens, nullus de posteriore.

Dico 4. Etsi ponatur hæc 14 constitutio Synodalis sub gravi obligare, dare tamen parvitatem materiæ in illa, ita ut non quælibet ommissio luminis integro die continuata sit statim mortalis. Quòd tamen vult Quintanadveñas *singul. Q. tract. 4. sing. 1.* damnans mortalis Parochum & consequenter etiam Superiorem alicujus Monasterii, si eo sciante, & consentiente lampas ante Venerabile Sacramen-

tum integro die non adeat. Ratio est, quòd etiam præcepta feriendi dies Dominicos, uti & alia Festa, item audiendi Missam pro fine suo cultum Dei Ter Optimi Maximi habeant, & tamen parvitatem materiæ admittant; ergo non est ratio, cur hæc in præsentem materiæ dari nequeat. Quæstio itaque sola restat, quantum tempus, si pro illo omittatur lumen, pro materia gravi habendum sit: æstimat Quintanadvennas non leviter peccatum ædituum, qui per tres aut quatuor noctes relinquat lampadem extinctam: Ego salvo aliorum iudiciò ejusmodi ædituum, si non ab omni, saltem à gravi absolverem. Ratio est, quòd omissio nocturni luminis non ita contrarietur fini per lampadem ardentem obtinendo, qui in eo consistit, ut fideles admoneantur ibidem candorem Lucis æternæ & Divinitatē immortalem adesse & consequenter ad devotionem videntes excitentur, cum ergo fideles non soleant noctu Ecclesias frequentare, ideo omissio nocturni luminis nequitiam obest fini per hoc præceptum intento: imò

cum cessante fine cessent leges, videtur, ex hoc omnino de noctu non urgere hoc præceptum.

Dico 5. Probabilius Constitutiones Synodales ne quidem sub gravi præcipere, ut lumen semper coram Venerabili ardeat. Ita Gobatt *tract. 4. casu 21. n. 3.* rationem dat iste Author, quòd memoratæ Constitutiones *part. 1. tit. 8. n. 20.* asserant quidam: *Ardeat noctes atque dies coram Tabernaculo lampas*, non tamen utantur verbò reatum noxæ lethalis inducente: ergo cum gravis obligatio absque sufficiente causa nequaquam sit imponenda, non erit tenendum, obligatos sub gravi ad nutriendum lampadem Diocesanos Parochos obstrictos esse.

Confirmatur: Eadem Constitutio Synodalis post latum præceptum de conservando lumine statuit, ut ad ægrotum deferantur duæ hostiæ, ne in reditu Christus adoretur, cum tamen non sit præsens, & hoc sub gravi præcipit, in quantum dicit: quòd si ex negligentia vel inadvertentia (*quàm omnino sub gravi pena cavendâ esse monemus &c.*) ergo cum conservationem lampadis

dis ardentis non præcipiat sub terminis ejusmodi gravem poenam insinuantibus, non erit asserenda obligatio gravis ex ejusmodi præcepto resultans.

Confirmatur 2. Lex hæc est positiva duntaxat ab homine lata, quæ per contrariam consuetudinem vel omnino abrogari, vel mitigari potest: cum ergo in pluribus locis partim ob inopiam, partim ob longam consuetudinem, & etiam (uti Gobatt asserit) alicubi ob torporem non ita severè observetur, ideo in tanto rigore nequaquam obligare dicenda est.

§. II.

Resolvitur secundum quæsitum.

Cujusnam impensis hoc lumen sit procurandum.

IN decisione hujus quæsitum juxta Authores ante omnia observanda sunt pacta & conventiones, & his cessantibus consuetudo obligans parochianos, ut certas quasdam oblationes ad conservandam lampadem an-

nuatim faciant. Probata etenim hæc tam laudabilis consuetudo, si legitimè fuerit, erit illa sine dubio etiam continuanda.

Quòd si de tali consuetudine neuti-¹⁷quam constet, videtur hæc quæstio decidenda ex iis, quæ tit. 48. de Ecclesiis edificandis, & reparandis: in genere statuta sunt. Optimè enim animadvertit Jurisconsultus in Leg. nam ut ait. 13. ff. de LL. nam quoties lege aliquod introductum erit, bona occasio, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel jurisdictione supplere. Cùm ergo conservatio hujus lampadis ad ipsam Ecclesiam spectet, ad hanc procurandam non immeritò obligatos dicimus, qui ex dispositione juris ad reparandam & conservandam Ecclesiam obligantur; nam sub nomine Ecclesiæ omnia, quæ ad divinum cultum in ea peragendum necessaria sunt, comprehenduntur: & argum. Legis accessorium. 42. in 6. accessorium sequitur principale.

Sciendum itaque erit, à Tri-¹⁸dentino Sess. 21. cap. 7. de Reformat. Episcopos fuisse monitos, ut Parochiales Ecclesias collapsas re-
fici,

fici, & restaurari procurent ex fructibus & proventibus, quibuscunque ad eandem quomodocunque pertinentibus.

19 Ex hac universali regula deducitur primò tale lumen alendum esse ex portione proventuum, sive reddituum fabricæ deputatorum, cum ex istis conservatio & reparatio fabricæ, ad quam tanquam pars spectare etiam hujus lampadis conservatio videtur, facienda sit.

20 Deducitur 2. Deficientibus redditibus fabricæ Rectores Ecclesiæ aliósq; hujus Beneficiatos ex redditibus, qui congruæ sustentationi supersunt, obligandos esse, hos enim in tali defectu ad reparationem & conservationem Ecclesiæ obstrictos esse, habetur in *cap. 1. & cap. de his.* 4. ratio est, quòd beneficiorum Ecclesiasticorum fructus ad sustentationem Beneficiatorum, & alendos de superfluis pauperes, nec non ad instituendum, & promovendum cultum divinum sint Clericis attributi.

21 Deducitur 3. In casu, quo deducta congrua sustentatione nihil supersit ex beneficii fructibus, Patronos, qui ex proventibus Ecclesiasticis aliquid utilita-

tis ob jus sibi in fundatione &c. Talis Ecclesiæ reservatum percipiunt, uti etiam omnes alios, qui quosdam fructus ex dictis Ecclesiæ proventibus percipiunt: ita habetur in *Sess. 21. Tridentini. c. 7.* est enim vel maximè æquum, ut qui Ecclesiæ commoda & proventus percipit, etiam subeatonera, eique laboranti succurrat.

Deduces 4. Probabiliùs ab hoc onere immunes esse Patronos, qui de bonis & proventibus Ecclesiæ nihil percipiunt, neque decimas, neque aliam pensionem. Ratio est, quòd Patres Tridentini in citato capite 7, 21, *Sessionis*, obligaverint Patronos tantummodo ratione fructuum, quos ex Ecclesiis, id est, ex redditibus seu proventibus temporalibus ad Ecclesiæ refectionem conducentibus percipiunt. Ita Lambertinus *de Jure Patronatùs. l. 3. q. 7. art. 2. num. 2. & 7.* Pyrrhing *de Ecclesiæ adif. & repar. n. 20.* Wiestner *n. 45. de hoc ipso tit.* Confirmatur: tales Patroni jus Patronatùs in dispositione cap. *nolis. 25. de Jure Patronatùs.* jam plenè acquisiverunt ex prima fundatione, constructione, & dotatione, his enim præstitis præ-

præstiterunt illa, quæ ad Patronatûs acquisitionem à jure introducta, & requisita fuerunt: ergo ad nihilum impostum præstandum obligari poterunt. Ita Zypæus in *analisi de Ecclesiis edificandis* n. 12.

23 Deduces §. Etiam decimatores Ecclesiasticos in defectum fabricæ redituum, & redituum ex detracta congrua Beneficiorum sustentatione remanentium ad hoc onus esse obligatos. Ita omnes illi, qui cum Peckio, Barbosa, Sand, Jacob Emerita, Gutierrez, Layman, Wiestner, omnes decimatores etiam laicales obligant, præter alios plures, qui solos laicales eximunt. Ratio est, quamdiu decimæ à titulo spirituali non separantur, habentur pro bonis Ecclesiæ, ex qua proveniunt, proin etiam onus reparandæ Ecclesiæ, ad quoscunque Ecclesiasticos decimatores etiam deferunt, & cum hac obligatione iisdem concessæ fuisse videntur, eò quòd cum minimo præjudicio Ecclesiæ propriæ credantur translata in Ecclesias extraneas, si non aliud quidpiam in illarum separatione expressum fuerit.

Quid de laicalibus decimato-²⁴ribus statuendum sit circa hanc obligationem, dissentiunt inter se Authores: immunes esse illos à reparatione Ecclesiarum declarant plerique Doctores, si Zypæo de *Paroch. consult.* 4, n. 2. credimus, uti & Zæsius in *hanc Rubricam* n. 5. Molinæus de *consuetudine Parisin.* prin. n. 104. & §. 68. n. 24. Schmalzgrueber hic n. 56. Navarrus de *redit. Eccles.* n. 5. & 57. Ratio horum est: tales decimæ referuntur inter bona laicorum patrimonialia, gaudētque eadem, quo cætera illorum bona, immunitate, consequenter à parochia sunt abstractæ: ergo non percipiunt aliquid ex bonis Ecclesiæ tales decimatores: ergo si soli percipientes aliquid ex bonis Ecclesiæ sunt obligati, decimatores laicales erunt exempti. Confirmant, hoc onus nusquam reperitur impositum laicis decimatoribus fuisse: ergo &c.

Ex opposito Peckius de *repa-²⁵ratione Ecclesiæ* cap. 14. Gutierrez *pract. Q. Q. lib. 1. cap. 17. num. 4.* Wiestner hic n. 47. citans Laymanum, etiam laicales decimatores ad hoc vult esse obligatos;

Bbb

mo-

moventur, decimæ in nullum alium finem sunt institutæ, quàm ut Rectoribus Ecclesiarum de sustentatione, atque Ecclesiis de earum conservatione stabiliter prospectum esset. Hinc juxta D. Thomam 2 2. q. 87. art. 3. jus decimarum primarium & fundamentale semper manet penes Ecclesiam, quòd radix solutionis decimarum sit debitum. quo seminantibus spiritualia debentur temporalia. Omne itaque jus decimandi, quia fundatum est in officio sacro, juxta cap. ultimum *de rerum permutatione*, est, ac semper insuper manet jus spirituale, cum fideles laicis ob ministeria sacra ab Ecclesiis ipsis impensa persolvant decimas, quibus ministeriis, cum laici nequaquam fungantur, ad eos hoc jus transire nequaquam potest: ergo hoc onus decimis ita inhæret, ut illud semper secum deferant, ad quoscunque Possessores transierint: prout etiam defendit Maximilianus Faustus *Consil. pro ærario. Classe 12. Consil. 16.* Cum enim Ecclesia à primario jure percipiendi decimas, quod juxta dicta est spirituale, separaverit, & avulserit secundarium jus

ad percipiendum id, quod in decimis est temporale, fructus scilicet, qui nomine decimarum solvendi, & ex se sunt aliquid temporale, atque illud vel liberaliter, vel cum titulo oneroso in alios transtulerit, non immeritò præsumitur, quòd jus rescindendi, & conservandi Ecclesiam ab iis nequaquam separaverit, quamdiu contrarium non probatum à laicis decimatoribus fuerit.

Confirmatur. Absolutè potuit jus decimandi in laicos cum hoc onere transferri: ergo si non constat, quòd sine hoc onere in laicos translatum fuerit, tenendum, quòd cum hoc onere fuerit in illos translatum. Probatur conseq. donationes & alienationes sunt strictè interpretandæ, cum nemo censetur rem suam abjicere. Videtur itaque Ecclesia esse in possessione, ut onus probandi exemptionem ab hoc jure incumbat laicis decimatoribus.

Expositis rationibus obligantium decimatores laicales audiendæ insuper erunt rationes pro exemptione decimarum laicalium afferri solitæ. Ad ratio-

tionem itaque num. 24. propositam, quòd scilicet tales secularizatae decimae sint bona patrimonialia laicorum, & eadem cum cæteris immunitate gaudeant, respondent, disting. referuntur inter bona patrimonialia, ut tamen jus primarium colligendi decimas manserit penes Ecclesiam: jus autem secundarium tantum in seculares fuerit translatum: conced. ita ut hæc non fuerint observata: negant. Dein volunt, ut à talibus decimatoribus probetur, quòd Ecclesia sine hoc onere decimas in seculares transtulerit. Sicut enim cætera bona patrimonialia sunt illis propria, & tamen certam obligationem habere possunt, ita etiam dici hoc ipsum poterit de talibus decimis.

27 Verum hæc responsio urgetur: ut aliquis habeatur exemptus ab onere suis bonis imposito, non potest exigi, ut ipse hanc immunitatem probet, sed adversario, & onus quoddam imponenti hoc onus probandi incumbit: ergo Ecclesiae erit probandum, quòd onus concurrenti ad reparationem fabricae secularizatis decimis maneat im-

positum. Translatio rerum semper supponitur instituta absque omni onere, nisi ex instrumento contractus vel aliunde id probari possit: ergo non ipsi seculares decimatores, sed Ecclesia probare debet, hoc onus secularizatis decimis adhuc esse impositum. Adde, quòd nullus textus in Jure Canonico hanc obligationem imponens invenitur.

Quando autem opponitur 28 quòd etiam in secularizatis decimis jus primarium colligendi decimas manserit penes Ecclesiam: ergo etiam jus ad exigendum reparationem à decimatoribus secularibus. Adverto, ubi jure primario posse intelligi jus fundamentale, atque remotum, quod Lex Divina aut Ecclesiastica Parochis aut Ecclesiae attribuit in tales decimas in sustentationem illorum ob obsequia Ecclesiae præstita, hoc itaque jus manet semper penes Ecclesiam: cum autem Pontifex tanquam absolutus Administrator bonorum Ecclesiasticorum ob certas & efficaces rationes à Jure spirituali ad obeundas functiones spirituales Parochis com-

petente avellere possit jus percipiendi temporalia ad Parochorum sustentationem olim deputata, hinc ista avulsione supposita proximum jus percipiendi decimas erit penes sæculares, in quos decimæ fuerunt translatae. Ita tamen, ut hoc jus istis competat ob jus Ecclesiasticis ministris olim à Deo vel Ecclesia attributum, & fundamentum primum sit prædicta olim fidelibus obligatio solvendi decimas ipsis ministris Ecclesiæ.

Præterea cùm jus decimandi non avellatur à jure spirituali Parochis competente, nisi per aliud æquivalens compensetur, aut nisi etiam supposita hac avulsione congruam sustentationem adhuc percipiant, hinc ipsis Parochis nihil decedit, cùm sola congrua sustentatio, quam adhuc retinent, eisdem sit debita, de superfluis autem disponere juxta suum beneplacitum Pontifex possit.

29 Sed urgent obligantium Patroni: si ex avulsis & secularizatis decimis nihil contribuendum sit ad reparandas Ecclesias, meritò conquerentur Parochiani, si ultra præscriptas à Deo, &

Jure Canonico ad reparationem Ecclesiæ deputatas ac sufficientes impensas & redditus, decimas scilicet, ex aliis bonis suis novum quoddam subsidium conferre cogantur, eò quòd decimæ in sæculares translatae fuerint. Sed contra est, si Parochus in locum avulsarum decimarum æquivalens substitutum fuit, Parochus non minores redditus percipit, ac perceperit, si decimæ non fuissent avulsæ: ergo hæc replica cessat. Secundo; si nullum æquivalens assignatum fuit, ea tamen portio Parochis relinquatur, quæ ad congruam illorum sustentationem plus quam sufficiens judicatur. Tertio, cùm quælibet Ecclesia sufficiente ad reparandam illam & conservandam necessaria dote sit instructa, parochiani non possunt agrè ferre, si ob rationabiles causas aliqua decimarum portio à titulo spirituali avulsa in sæculares translata fuerit, cùm istæ decimæ Ecclesiæ doti non annumerentur.

Rationem autem sufficientem ad talem alienationem videntur suppeditare præstantia merita à decimatore sæculari Ecclesiæ

siæ particulari cuidam vel universali præstita, aut pretium quoddam Ecclesiæ pro jure decimandi persolutum: ergo potius præsumendum est absque tali onere decimas in sæculares translatas fuisse, usquedum probatum fuerit ab Ecclesia, vel parochianis contrarium.

Instant tamen ulteriùs obligantes ad prædictū onus, quando cuidam agro certum onus fuit impositum, tunc cum tali vendito agro in eminentem etiam transfertur illud onus: ergo cum alienatis decimis etiam in novum dominum transferetur onus concurrenti ad reparatio-

nem Ecclesiæ ipsis decimis impositum, sed respondetur, Disting. conseq. ergo cum decimis etiam hoc onus transfertur, si per hanc avulsionem & translationem non fuerit extincta radix & fundamentum, ob quod decimis spiritualibus onus illud erat impositum, conc. conseq. si hæc radix per hanc alienationem fuerat extincta neg. conseq. radix hæc fuerat, quia antea spectabant ad talem Ecclesiam, & quia exspectantibus ad Ecclesiam reparanda hæc cæteris deficientibus est ipsa Ecclesia.



Bbb 3

Ca-